

per illam eandem rationem, quâ motor vnitur mobili. Ita noster Rangolius in lib. 1. Regum ver. 14. cap. 28. q. 132.

Nota tribus modis fieri posse apparitiones. 1. verè & realiter absque vlla illusione sensuum interiorum aut exteriorum, quales sunt illæ Genesis 18. 19. 32. Luc. 1. 2. 2. cum illusione, ita vt videatur aliquid oculis externis quod minimè videtur, vt visiones Apocalypsis; non enim obiecta visa sensibus externis deprehendebantur, sed mediis quibusdam speciebus impressis phantasæ, & imagini. 3. quando res verè obicitur sensibus externis, & tamen non videtur, vt est à parte rei, sed longè aliter quam sit, ob speciem impressam phantasæ, quæ aliter repræsentat obiectum visum oculis externis, quàm de facto sit in seipso, quales sunt illæ, quæ fiunt quandoque per solam magiam naturalem, quandoque verò ope bonorum & malorum Angelorum.

Obj. 5. Angeli loquuntur, comedunt, & bibunt, itemque peregrinantur cum hominibus, vt patet pluribus experientiis, & ex historia Tobix, & ex c. 18. & 19. Gen.

R. Locutiones istas, comestiones, & deambulationes fuisse solùm apparentes ob similitudinem, quam habuerunt cum locutionibus, &c. veris; non enim datur actio vitalis, quæ non sit à principio vitali, vitaliter operante; in Angelis autem bonis vel malis non datur principium vitale, sensibile, & organicum.

Obj. 6. Secunda Synodus Nicæna approbasse dicitur epistolam Ioannis Episcopi, qui Angelos depingi posse docet, quia corporei.

R. eam epistolam fuisse approbatam, nisi quoad punctum substantiale de adoratione imaginum; non autem quoad rationem, quâ ille Pater mouebatur: nam de illa non agebat Concilium.

Obj. 7. Platonici afferebant esse quædam animalia aërea, quæ dæmones nominabant & ad Eph. 1. dæmon dicitur Princeps aëris huius.

R. Ita loqui, vel quia corporum aëreorum naturam assument, vel quia habitant in aëre saltem aliqui.

Dico 3. dæmones sic posse definiti: esse spiritus intellectiuos, immundos, æternos, ab omni materia, & physica compositione seiunctos. Dicuntur *Spiritus intellectiui* loco generis, cum per hoc conueniant cum animabus separatis, & in